

#### Peccatum A

Si queratur a me utrum homo sine peccato potest esse in hac vita, confiteor posse per Dei gratiam et liberum eius arbitrium.

Augustinus in libro de baptismo parvulorum.

#### Peccatum B

Peccatum nichil est et nichil fiunt homines cum peccant.

Augustinus super Iohannem.

#### Peccatum C

Nullum peccatum committi potest nisi dum appetuntur ea que Christus contempsit, aut fugiuntur que ille sustinuit.

Augustinus de vera religione.

#### Peccatum D

Nemo renascitur in Christi corpore nisi prius nascatur in peccati corruptione.

Augustinus de baptismo parvulorum.

#### Peccatum E

Nullus sanctus et iustus caret peccato, nec tamen ex hoc desinit esse iustus vel sanctus cum affectu teneat sanctitatem.

Augustinus de ecclesiasticis dogmatibus.

#### Peccatum F

Si fuerit aliquis coniugalis excessus, qui tamen legitimum non violet thorum, habebit nonnullum sed veniale peccatum.

Augustinus in libro de fide ad Petrum.

## Peccatum G

Nullum scelus coram Deo tam abominabile est quam preterita peccata unicuique nostrum dimissa reminiscendo gaudere et inde exultare.

Augustinus in epistola ad quemdam comitem.

## Peccatum H

Qui pectus suum tondit et se non corrui peccata, solidat non tollit.

Augustinus in quodam sermone.

## Peccatum I

Quis peccat in eo quod nullo modo caveri potest.

Augustinus libro 3. de libero arbitrio.

## Peccatum K

Ex quo incipit homo precepti esse capax, ex illo incipit posse peccare. Duobus modis peccat antequam sit sapiens: si aut se non accommodet ad accipiendum preceptum, aut cum acceperit non observet; sapiens autem peccat si se avertit a sapiencia.

Ibidem.

## Peccatum L

Peccatum est voluntas retinendi vel consequendi quod iusticia vetatur.

Augustinus de duabus animalibus.

## Peccatum M

Sane cum sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen et volens libenter que statim ut attigerunt animum respui debuerunt non negandum est esse peccatum, sed longe minus quam si in opere statuatur implendum, et ideo de talibus quoque cogitationibus venia petenda est peccusque percutiendum atque dicendum, dimitte nobis debita nostra, faciendum quoque quod sequitur atque in oratione iungendum sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Augustinus 12. libro de trinitate.

## Peccatum N

Neque enim sicut in illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat et ideo si solum mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio plecteretur, ita dici potest in homine uno si delectacionibus illicitis a quibus se avertere deberet continuo cogitatione sola libenter pascatur nec facienda decernentur mala, sed tantum suaviter in recordacione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari absit hoc credere, hec quippe una persona est, totusque damnabitur, nisi hec que sine voluntate operandi sed tamen cum voluntate animi talibus oblectandi solius cogitaciones sentiuntur esse peccata per mediatoris gratiam remittuntur.

Augustinus ibidem.

## Peccatum O

In ipsis alimentis que utique concessa sunt, si forte excedit modum et accipit amplius quam est necesse peccat, quotidiana sunt ista que dico, sed tamen peccata sunt et non sunt levia quia plura. Quia vero quotidiana et plurima sunt timenda est ruina multitudinis. Talia peccata dicimus fratres quotidianis elemosynis posse mundari.

Augustinus in libro de decem cordis.

## Peccatum P

Non regnet peccatum in vestro mortali corpore; non dicit non sit, sed non regnet. Inest peccatum cum delectaris regnat cum consenseris.

Augustinus super Psalmum 5.

## Peccatum Q

Nolite contemnere venialia quia minima sunt sed timete quia plura, plerumque enim bestie minute multe necant numquid minutissima sunt grana arene, sed si arena amplius in navi mittatur mergit illam ut pareat, quam minute gutte pluvie; nonne flumina implent et domos deiiciunt. Timenda est ergo ruina multitudinis et si non magnitudinis.

Augustinus de decem cordis.

## Peccatum R

Tribus gradibus ad peccatum pervenitur: suggestione, delectacione, consensione. Itaque ipsius peccati tres sunt differentie: in corde, in facto et in consuetudine; tamquam tres mortes: una quasi in domo cum corde consentitur libidini, altera quasi prolata iam extra portam cum in factum procedit assensio, tertia cum in consuetudinis male tamquam mole terrena premitur animus quasi in sepulcro iam putrens, que tria genera mortuorum Dominum resuscitasse quisquis ewangelium legit agnoscit.

Augustinus in libro de sermone in monte et ponitur de penitencia distinctione 2.

## Peccatum S

Liberum si confitemur arbitrium, ut dicamus nos semper indigere auxilio et tam illos errare qui cum Manicheo dicunt hominem peccatum vitare non posse quam illos qui cum Ioviniano dicunt hominem peccare non posse. Velle currere est meum sine Dei tamen auxilio non erit meum.

Ambrosius in quadam epistola.

## Peccatum T

Peccare in Spiritum Sanctum est per maliciam et invidiam fraternam impugnare caritatem.

Ambrosius in libro de Spiritu Sancto.

## Peccatum U

Primum peccatum est cogitasse que mala sunt, secundum cogitationibus adquevisse perversis, tertium quod est deterius opere complesse, quartum post peccatum non facere presenciam et in suo complacere sibi delicto.

Hieronymus libro 1. super Hamos.

## Peccatum X

Cui deus venter est, ei deus recens est. Quaecumque vicia habemus et quodcumque peccata tot recentes habemus deos. Iratus sum, ira michi deus est. Vide mulierem et concupivi, libido michi deus est. Unusquisque enim quod cupit et veneratur hoc illi deus est.

Hieronymus super Psalmum 80: Non erit in te deus recens.

## Peccatum Y

Sicut non numquam gravius est peccatum diligere quam perpetrare, ita nequius est odisse iusticiam quam non fecisse.

Hieronymus in quadam epistola.

## Peccatum Z

Prioris peccati merito peccatorum subsequencium fovea tegitur, ut qui malum sciens perpetrat, deinceps iuste in aliis eciam nesciens cadat, hoc quippe agitur ut culpis culpa feriat quatenus supplicia fiant peccancium ipsa incrementa viciorum.

Gregorius libro 25. moralium.

## Peccatum AB

Non numquam in parvis deterius quam in maiori peccatur. Maior enim quo cicius quiescit culpa cognoscitur, eo eciam celerius emendatur, minor vero dum quasi nulla creditur, eo peius quo et securius in usu retinetur.

Gregorius homelia 52. extreme partis.

## Peccatum AC

Hoc inter peccatum et delictum distat, quod peccatum est malum facere, delictum vero bona derelinquere que sunt in opere tenenda vel peccatum in opere est, delictum in cogitatione.

Gregorius 2. partis super Ezechielem.

## Peccatum AD

Quattuor modis peccatum perpetratur in corde, quattuor consumatur in opere. In corde namque suggestionem, delectationem, consensum et defensionis audaciam perpetratur. Fit enim suggestio per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum, defensionis audacia per elacionem. Quattuor modis peccatum consumatur in opere; prius namque latens culpa agitur, postmodum etiam ante oculos hominum sine confusione reatus aperitur, deinde et in consuetudinem ducitur, ad extremum quoque vel false spei seductionibus vel obstinatione miserie desperationis enutritur.

Gregorius libro 4. moralium.

## Peccatum AE

Peccatum quod ex peccato oritur, non iam peccatum tantummodo, sed peccatum est et pena peccati, quia iusto iudicio omnipotens Deus cor peccantis obnubilat, ut precedentis peccati merito etiam in aliis cadat, ut qui malum sciens perpetrat deinceps iuste in aliis etiam nolens cadat.

Gregorius libro 25. moralium.

## Peccatum AF

Usitata culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem conatur et labitur, quia ubi sponte diu persistit ibi et cum voverit cadit.

Gregorius in homelia.

## Peccatum AG

Peccatum tribus modis admittitur, nam aut ignorancia aut infirmitate aut studio perpetratur, et gravius est quidem infirmitate quam ignorancia sed multo gravius studio quam infirmitate peccatur.

Gregorius in homelia et ponitur de penitencia distinctione 2.

## Peccatum AH

Posse enim peccare datum est homini non ut proinde peccaret sed ut gloriosior appareret si non peccaret cum peccare posset.

Bernardus de libero arbitrio.

## Peccatum AI

Peccantis lapsus non dono ascribendus est potentatis sed vicio voluntatis, et si datum fuit voluntati posse stare ne caderet, non tamen resurgere si caderet. Non enim tam facile quis valet exire de fovea sicut in eam labi.

Bernardus ibidem.

## Peccatum AK

Quare peccas? Quia nescis quid facias? Absit. Quia cogaris ut facias? Absit. Sed quia placet ut sic facias.

Bernardus in quodam sermone.

## Peccatum AL

Tanto maius peccatum esse cognoscitur, quanto maior qui peccat habetur. Crescit enim delicti cumulus iuxta ordinem meritorum et sepe quod minoribus ignoscitur, maioribus imputatur.

Isidorus de summo bono libro 2.

## Peccatum AM

Maioris est culpe manifeste quam occulte peccare, dupliciter enim reus est qui aperte delinquit, quia agit et docet.

Isidorus ibidem.

## Peccatum AN

Istis fomitibus quasi quibusdam gradibus coalescit omne peccatum, cogitatio namque prava delectationem parit, delectio consensionem, consensio actionem, actio consuetudinem, consuetudo necessitatem, necessitas mortem; sicque in his vinculis homo implicatus quadam cathena viciorum tenetur astrictus.

Ibidem.

## Peccatum AO

Diabolus nulla precedentis peccati vindicta superbiens peccavit, ego visa eius pena continens ad peccatum properavi. Ille in innocencia constitutus, ego vero restitutus. Ille perstitit in malicia Deo reprobante, ego vero Deo revocante. Ille vero obduratur ad punientem, ego vero ad blandientem. Et sic uterque contra Deum: ille contra non requirentem se, ego vero contra morientem pro me. Ecce cuius imaginem horrebam, horrorem in multis aspicio me horribiliorem.

Anselmus libro de casu diaboli.

## Peccatum AP

Mortale peccatum quantum michi videtur triplici recte ratione distinguitur; mortale est quod a quovis non potest committi sine grandi corrupcione sui, sine gravi lesione proximi, et sine magno contemptu Dei. Cetera vero omnia videntur michi venalia; veniale peccatum est reatus cui quantum est in se solum fide mediante numquam debetur pena eterna damnatis, mortale vero est reatus cui quantum in se solum semper debetur eterna damnatio.

Ricardus de differencia mortalis et venialis.

## Peccatum AQ

Hoc dicimus quod tantum unusquisque a divinitate repellitur, quantum eius peccata cumulantur. Quantitas enim delicti mensura est repudii, quia tantum a Deo reus longior redditur, quantum numero crimine dilatatur.

Cassiodorus super Psalmum 5: Expelle eos quoniam irritavere et cetera.

## Peccatum AR

Tribus modis omne peccatum contrahitur: primus gradus delictorum est, non reddere bona pro bonis; secundus reddere mala pro malis; tertius est tribuere mala pro bonis. Contra hec sunt tria laudabilia: primum impendere bona pro bonis; secundum malum pro malo non reddere; tertium perfectissimum virtutis genus est: bonum pro malo tribuere.

Cassiodorus super Psalmum: Pro eo ut me diligere detrahebant.

## Peccatum AS

Ideo peccamus quia de partibus vite omnes deliberamus de tota nemo deliberat.

Seneca in quadam epistola.

## Peccatum AT

Bonus vir est qui eo usque perducit affectu animum, ut non tantum peccare non velit sed etiam non possit.

Seneca libro de moribus.

## Peccatum AU

Plerique metu peccare cessant non innocencia profecto tales timidi, non innocentes dicendi sunt.

Seneca in proverbiiis.

Peccatum AX

Bis peccas cum peccato obsequium accommodas; nichil peccant oculi si non oculis  
animus imperet.

Seneca ibidem.